

AMORE RA- TIONALI,



Utrum primum sit moralitatis principium,
& summum bonum, & imago DEI, & ipsa fides salvifica?

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTOR. SAXON. HAEREDE,
ETC. ETC.
PRÆSIDE

HENRICO RÖNNINGE

Mor. Prof. Publ.

In Academia Vitembergensi,

A. R. S. MDCC IX.

Die VI. Februar.

In Auditorio Majore,

Publice inquiret,

M. HENRICVS ROTHIVS,

Sagano - Silesius.

Philos.
c.

211, 46

VITEMBERGÆ,
typis MARTINI SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR.

ДЕ
АСИФНОМА
ЛАЙОПІ

ОГРОДА ОДНОГО КО
ЗІРКІОННОГО АБЕРІ

1800 ГРІБІВ СОКІВН

ІДІЯ ПІД ТОМІ

SL
Landesbibliothek
Dresden



Q. D. B. V.

§. I.

Nullam esse Philosophiae sectam, quæ non consistet a ceteris, quod diversos habeat bonorum malorumque fines & principia, illud jamdudum Varro asseruit *id lib. de Philosophia*, inque hunc locum a me transferitur vel maxime propterea, quod hodie in philosophorum doctrina recentissimorum, longe verissimum illud esse, in primis deprehendatur. Dici enim non potest, quam in constitutis bonorum malorumque finibus ac principiis primis misericorde ab antiquioribus discrepant Bened. de Spinoza, Pet. Poiretus, Sam. Pufendorfius, Thom. Hobbesius, Arnoldus Geulinx, Joh. Clericus, Christoph. Thomasius, Jo. de Placette, & plures alii; ut non immerito in desideratis moralibus primo statim loco Jo. Christoph. Beermannus illud commemoret in *Pol. Paral. cap. i. quod plerique, qui hodie de moribus philosophantur, non ponant vera actionum principia.* Illa enim, (sic pergit idem citatus auctor,) quæ habentur pro principiis, modi potius principiorum sunt, quam ipsa principia. Quamobrem, cum constituerim Pædiam aliquam ad philosophiam de Moribus propediem, si Deus fierit, perscribere, inque eo a multis, praesertim peregrinantibus sim confirmatus satis, quod sint, qui tractationem aliquam desiderent de primis moralium principiis, proœmij quasi loco primum de illis inquiram, qui, amorem primum esse moralitatis principium, contendunt. Quod ipsum dum facere aggredior, eos, cum quibus mihi disputandum erit, viros celeberrimos, vehementer rogo, ut me dissentientem non aegre ferant, eademque cum animi moderatione, qua usus ipse sum, mihi, si dignabuntur,

A 2 respon-

respondeant: Qued hoc facilius concedent mihi, quo magis principia ipsa de amore eorum rationali illud postulabuntur. Neque enim aliam ob causam ullam, quam ad veritatem in his quoque principiis primis investigandam, haec suscipio: A calumniis, rixis & contentionibus inutilibus alienum me esse, omnes norunt; commercio autem literario, colloquioque viorum doctissimorum, mirifice delector.

§. 2. Amorem primum esse moralitatis principium, praeter ceteros, in primis huc usque asseruit Celeberrimus Hallensium Doctor, Christianus Thomasius, cum integro illo in libro, qui inscribitur die Kunst- vernünftig und Eugendhaft zu lieben / oder / Einleitung und Ansübung der Sitten-Lehre, tum passim alias, locis postea citandis. Totius libri citati argumentum in his tribus quasi partibus continetur: 1. Ex communissimo postulato, vel hypothesi, (dass dasjenige alleine gut sey, was des Menschen Wesen und Kräfte am dauerhaftesten erhält / und vermehret; Dasjenige aber wirklich böse sey / was eine dauerhafte Verringerung oder gänzliche Austilgung des Menschlichen Wesens und seiner Kräfte verursacht / pag. 12.) demonstratur, amorem rationalem, die vernünftige Liebe / esse summam hominis in hac vita felicitatem, quod alii sumnum bonum nominant. Cap. enim 2. §. 62. Et 65. summa illa felicitas ad hunc modum describitur: Des Menschen seine wahre / einige / und größte Glückseligkeit bestehtet in ruhigen und mäßig sich verändernden Gedanken. Sie ist nichts anders / als eine ruhige Belustigung / welche darin bestehtet / dass der Mensch weder Schmerzen noch Freud über etwas empfindet / und in diesem Zustande sich mit andern Menschen / die eine vergleichbare Gemüths-Ruhe besitzen / zu vereinigen trachtet. De hac sic circumscripta felicitate summa in §. 71. sic asseritur: Woltest du dieses größte Gut des Menschen mehr nach seinem Ursprunge und Wirkung / als nach seinem Wesen / benennen / Föntest du es eine vernünftige Liebe nennen / als welche nichts anders ist / als eine Vereinigung gleicher Gemüther / die das größte Gut besitzen / conferatur etiam §. 87. II.) Per universum

cap. 4.

cap. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. docetur, eundem hunc amorem rationalem esse unicum medium consequendæ felicitatis in hac vita summa; imo & principium ac normam omnium virtutum atque officiorum esse eundem amorem rationalem, quatenus vel communis, vel specialis, æqualium vel inæqualium &c. esse dicitur. Pertinent huc verba hæc §. 2. capitis 4: Wir wollen in diesem Hauptstücke deutlich erweisen / daß in der vernünftigen Liebe / das einzige Mittel zu der größten Glückseligkeit zu erlangen bestehet. Cum his ad verbum congruunt ea, quæ, in §. 60. 63. & 64. capitis 4. ad hunc modum fluunt: Die vernünftige Liebe anderer Menschen ist das einzige Mittel zur wahren Glückseligkeit / oder Gemüths-Ruhe zu gelangen. Und wenn gleich andere Gelehrte die wahre Glückseligkeit durch ein anderes Mittel gesucht haben / so haben sie sich nur andere Worte bedient / oder aber ihre Meinung ist offenbahr falsch. So ist demnach die Liebe das rechte Maß aller Tugenden / und ohne dieselbe ist die Tugend todt. III. Peculiari iterum tractatione, (quæ inscribitur die Archeney wieder die unvernünftige Liebe / oder Ausübung der Sitten-Lehre) integra, ostenditur, principium & normam omnis mali esse amorem irrationalem, der Ursprung alles Übeln oder Bösen sey die unvernünftige Liebe / der Ehre / der Wollust / und des Reichthums oder des Geldes. Ex quibus omnibus conjunctim sumptis illud relinquitur, amorem esse primum moralitatis principium, ad quod omnia tanquam ad finem ultimum referri, & simul, tanquam ad primum cognoscendi principium examinari debeant, & judicari, laudemne promereantur, an vituperium, sintne honesta, an turpia, licita, an illicita, in virtutibus, an vitiis numeranda? Verbo, primum philosophiæ practicæ Thomasianæ principium illud est: Quicquid ex amore fuit rationabili, cumque eadem congruit, illud bonum, honestumque est, & in virtutum numero ponendum; econtrario, quicquid eidem adversatur, & fuit ex amore quodam irrationabili, illud malum & turpe est, ac vitiis annumerandum. Namque & illud principium, quo asseritur, quod, quacunque ad hominis conservationem firmam

ac stabilem conducant, sine bona, illud, secundum Thomasium,
cum priore illo unum atque idem esse dicitur.

§. 3. Eandem hanc de amore, tanquam primo moralitatis principio, sententiam Thomasius alibi, vel mutatis nonnihil, vel iisdem quandoque, translatam tamen in linguam latinam, verbis explicuit, ac defendit. *Introductio ejus in Philos. Mor., deque Praxi. Phil. Mor. liber*, nihil aliud est, quam repetitio & translatio supra citati libri germanici. Neque multum ab illo discrepant ea, quæ in *Observationibus Hallens. T. 2. Observ. 12. & 13.* & passim alibi leguntur, quorum vel propterea hic mentio fuit facienda, ut de constante Auctoris Cl. sententia nos possint confirmare.

§. 4. Quarenti interim, num vel primus hanc sententiam, vel solus etiam, Thomasius defendat? ipse respondet in prefat. *Introd. in Phil. Mor.* quod nec plane nova ea, nec ab alio quodam mutata sit. Provocat ibidem ad *Geulingium*, simili ratione, hoc est liberrime, philosophantem, & ad Professores nonuulos celebris cujusdam Academiz idem de amore una secum profitentes. Neque vero me latet, esse *Benedictum de Spinoza*, famosum illum atheum, qui, *Ethic. P. 5. Propos. 20.* in amore intellectuali summum docet inesse bonum. *Hic*, inquit, amor summum bonum est, quod ex dictamine rationis appetere possumus, & omnibus hominibus commune est, & omnes, ut eodem gaudeant, cupiunt. Confer *Scholion ad Propos. 36. & Epist. 34.* Nec desunt alii, qui eandem sententiam de amore, tanquam omnium bonorum malorumque fine & principio, sententiam, vel integris editis in lucem scriptis, vel data etiam occasione alia, propugnarunt. Ita, v. c. *Samuel Sermesius*, Cl. Francofurtensium Doctor, editis quondam peculiaribus quibusdam *Dissertationibus de Orig. Moral.* ex instituto de amore intellectuali idem asseruit. *Excellens*, inquit, §. XVIII. *Diss. 1.* boni moralis natura & forma, non tantum preioso conformitas cum recta ratione, sed etiam jucundissimo amoris intellectualis titulo comprehenditur; etenim in practicis Synonyma sunt: secundum rectam rationem vivere, seu recte rationi conformiter agere & amare intellectualiter, i.e.

anum-

unumquodque in omnibus loci & temporis circumstantiis eo amore, quo
in iisdem circumstantiis dignum est, servata scilicet inter amorem &
objectum debita & prudenti proportione, per quam solam amor iste
intellectualis evadit. Hoc, ceterum formaliter principio generico, omnes vir-
tutes & boni moralis species contineri, apodistice viderur exinde
probari, quia principium primum complexum & generalissimum,
(suum cuique tribuendum,) ex amore intellectuali, tanquam
incomplexa virtutis forma & principio derivatum, omnes omnino mo-
rales conclusiones speciales, seu cuncta precepta Ethica, ceterum genus
species, summatim comprehendit. Jo. de la Placette in Nouveaux Es-
says de Morale, cuius tomus primus Amstelodami prodidit A. 1692.
alter 1695. amorem ordinatum docet esse primum omnis virtutis
principium, philavtiam vero communem omnium vitiorum
causam. Neque alienus est ab hac sententia Job. Franc. Buddeus,
Cl. Jenensis Doctor, qui Mor. Philosophiae precepta Medi-
corum methodo absolvit: Haud enim obscure in Element. Philos.
Pract. Sect. 2. cap. 3. §. 29. seqq. ex amore ordinato omnia, quae
habent rationem boni, ex philavtia autem, omnia quae habent
rationem mali, deducenda esse arbitratur.

S. 5. Quamobrem, cum haec de amore, tanquam pri-
mo moralitatis principio, & omnium simul bonorum malo-
rumque fine ultimo, sententia, neque sine consensione mul-
torum docentium, (vide B. G. Struvii Bibl. Philos. cap. 6. §. 13.) ne-
que sine applausu dissentientium proponatur, vivaque simul vo-
ce & scriptis pasim propugnetur, monendi erant Cives no-
stri, ut, quid de ea opinione sit sentiendum, intelligent; præ-
sertim cum non vereantur de eodem illo amore rationali et-
iam illud perhibere iidem Scriptores, quod imaginem Dei
constituat, & ipsam fidem salutarem. Sic enim Scritorius cir-
loc. Diff. 1. §. 21. in amore, inquit, intellectuali etiam rotâ imago Dei
collocata est. Nam qua intellectualitatem sapientia est; & qua amo-
rem, bonitas. Conferatur & §. 16. ubi idem inculcatur, quod a-
mor intellectualis, recta ratio, & imago Dei, sint unum pror-
sus atque idem, idque ex Col. 3. 10. Eph. 4. 24. ac simul, quod
miror, ex Cicerone, Seneca atque aliis, confirmatur, quibus
tamen

tamen imaginis divinæ natura cognita perspectaque non fuit.
Thomas usque adeo extollit amorem suum rationalem, ut af-
firmet de eodem, quod cum fide salvifica coincidat, adeoque
hominem coram Deo justificet & salvet, mira confusione fa-
cta legis & Evangelii. Sic enim in Epilogo Prax. Philos. Moral.
§. 7. ubi confessionem edidit suæ fidei salvificæ, si quis scribit,
me interrogaret, numquid credam, hominem per fidem, an per amo-
rem salvati? eum rogarem, ne hac questione mibi velit esse molestus. Si
novi, solem calefacere, non necessaria quæstio est scrutari, an per lu-
men, an vero per motum calefacias. Non omnia, que vera sunt,
etiam utilia sunt &c. Plura namque consequuntur, quæ ad
confusionem legis & Evangelii, fidei & charitatis, atque ad
illudendos Theologos, spectant, quibus interjectis, deinde
sic pergit: mea mihi Ethica hoc dicit at: Fides, charitas, spes, sal-
vant, item sapientia. Ubi horum unum deest, ibi nec alterum repe-
ritur. Et ita ingens habeo compendium, quod non opus habeam tot
plausra spissorum librorum & controversiarum, de hac materia in-
de ab initio reformationis formatarum, perlegere. Quasi vero E-
thicorum sit pertractare doctrinam de mediis salutem æter-
nam consequendi? Additur denique, in eodem hoc Epilogo §. 2.
etiam illud quod præceptum de amore rationali, sit summa totius
& legis & Evangelii, miserrima iterum facta omnium sanctissi-
morum fidei Christianæ capitum confusione, quam Theologi
Hallenses, quod ego quidem sciam, ne verbo quidem uno
improbant aut reprehendunt.

§. 6. Mihi itaque non immerito. I. Quaritur, utrum
amor vel rationalis Thomasi, vel intellectualis Spinoza & Scrimesi, sit
summum, in hac vita bonum, seu felicitas moralis summa? a.)
Quod ad Spinozam attinet, non potest amor ejusdem intel-
lectualis Dei, summum dici bonum morale, i. quia Deus Spino-
ze non est verus Deus, sed merum mentis Spinozeane idolum, ut re-
cte judicat Divus Röbrenseius, in Prudent. Mor. P. 1. cap. 3. §. 13.
estque copiose satis & luculenter illud demonstratum in Com-
mentario integro de Deo, & Exam. Ethices Spinoza a Christoph.
Wittichio. Fingit enim Spinoza in Deo suo præter cogitatio-
nem

nem infinitam , infinitam quoque extensionem , & infinita attributa realia , quod $\alpha\tau\omega\pi\sigma\tau$ est , atque a natura veri Dei longissime remotum . 2. Quia , quid sibi velit amor ille intellectualis Dei , difficillimum est intelligere , & ipsi , credo , Spinozæ non fuit satis cognitum perspectumque . Sic eam circumscribit in Part . V . Ethic . Propos . XXXVI . mentis amor intellectualis erga Deum est ipse Dei amor , quo Deus seipsum amat , non quatenus infinitus est ; sed quatenus per essentiam humanae mentis , sub specie æternitatis consideratam , explicari potest , hoc est , mentis erga Deum amor intellectualis pars est infiniti amoris , quo Deus seipsum amat . Subjungitur deinde & corollarium æque obscurum & $\alpha\tau\omega\pi\sigma\tau$, quo , bine , inquit , sequitur quod Deus , quatenus seipsum amat , homines amat , & consequenter , quod amor Dei erga homines , & mentis erga Deum amor intellectualis , unum & idem sint . In quibus omnibus absurdia absurdis cumulantur , judice Wittichio in Exam . cit . ad hanc Propos . , tantum abest , ut in amore Spinozæ intellectuali summa sit hominis in hac vita felicitas collocanda . Neque ego facile adducar , ut credam , vel Strimesium , vel Thomasium , unum & eundem velle amorem cum Spinoza intellectum : Aliud certe verba eorum , & descriptiones præ se ferunt .

§. 7. Quod itaque ē) ad Strimesii attinet amorem intellectualis , de eo iterum jam ante me rectissime judicavit Divus Rölkensseeius , cit . loc . , quod neque in hoc sita sit summi boni ratio i. quia per illum amorem intellectualis summi boni moralis ratio non illustratur , sed obscuratur , non explicatur , sed implicatur . Est enim impropria illa & propemodum ænigmatica summi boni descriptio , quando per amorem describitur intellectualis . Quotus quæso quisque est , qui , non admonitus a Strimesio , intelligeret , quod amare intellectualiter , idem sit , ac vivere secundum rectam rationem , aut rectæ rationi conformiter agere ? Multa sunt , & satis involuta , certe a vocabuli amoris genuina significatione , quam maxime aliena illa , quæ ex Platone & reliquorum veterum Philosophorum scriptis collegit , deque amore pronunciavit Stobæus in Sermon . 61 . , sed non videntur illa

tam obscura & a vocabuli amoris usu vulgari , tam longe remota esse , quam ea sunt , quæ hic de amore apud Strimesium asseverantur . *Enim vero amoris vocabulum , receptissima significatione vocis , affectum , seu perturbationem animi significat , & quidem præter cæteras vehementissimam , omnium fere consensione Philosophorum . Secundum Stoicos amor per conatum amicitiae facienda describitur , auctore Cicerone lib. 4. Tusc. Quæst. Cartesianis amor voluntas esse dicitur amantis , se jungendi rei amatae , Conf. Cartes. de Passion. Anim. P. 2. Peripateticis & vulgo amor per affectum definitur appetitus concupiscentem , tendentem in bonum sibi vel alteri præsens : Aliis aliter natura amoris circumscribitur ; in eo omnes fere conveniunt , esse amorem , quando homini adscribitur , animi affectum facile primum . Ergo illa vocabuli significatio , qua amor dicitur esse ipsum bonum morale summum , tanquam inusitata merito rejicitur . 2. Sententiam ipsam de amore intellectuali , tanquam summo bono , Spinoza , famosus ille atheistus , jam dudum suspectam reddidit , citatis supra locisut ; vel maxime propterea non facile sit admittenda , ne videatur ex eodem esse hausta . 3. Interprete ipso Strimesio , *amare intellectualiter nihil aliud est , quam agere recte rationi conformiter* : Ergo amor intellectualis erit actus dicendus moraliter bonus , vel habitus virtutis ; & ex consequenti , actus recte rationi conformis vel habitus virtutis erit ex sententia Strimesii ipsum Summum bonum . At enim vero hæc opinio , defensa olim a Zenone , teste Laertio , 7. de Vit. Phil. sect. 87. a Seneca , de Vit. Beat. c. 3. & 8. ab Epicteto , Clemente Alex. , & aliis , dudum est refutata cum a Philosopho l. 1. Eth. c. 3. & 9. , tum a Meisnero in Dissert. de Sum. Bon. cap. 1. q. 12. Confundit enim actum moraliter bonum & habitum virtutis , cum actuum omnium fine ultimo , seu summo bono . Acquiescam proinde in judicio Divi Röbrenseci , cit. loc. sic de Strimesio existimantis : *Velut Cartesio cura fuit , veteram sententiam novis terminis proponere , sic idem actum a Cl. Strimesio appareat ; nisi quod prior forte quæsierit , rem per illos terminos magis declarare , cum contra Strimesianis terminis res per se clara magis obscuretur . Nam quid ipse est amor intellectualis ? Norma ad aquata , qua recta ratio examinanda**

examinanda venit. Quid recta ratio? Exscriptum quoddam, seu
ἀπόγεα φορ ἀτερνα illius rationis, legisve, in mente divina consignata,
qua per naturam non aliter innoscit, quam quatenus in recta ratione
mentibus nostris communicata conspicua est, &c. Quæ omnia &
rectam rationem, & naturam amoris intellectualis non tam exponunt,
quam involvunt. Jam si recterationi conformiter agere, & amare in-
tellectualiter, sunt unum & idem, hoc minus efficietur, summum bonum
situm esse in amore intellectuali. Et quamvis amore DEI ac proximi
contineantur omnia virtutum præcepta, & viri boni officia, non
ramen inde colligere licebit: Ergo est summum bonum.

§. 8. γ. Quod ad Thomasi amorem attinet rationalem, ne-
que is commode satis summum bonum esse dicitur 1.) quia per-
inde ut Strimesii amor intellectualis impropriam, allegoricam,
&, ut supra monui, fere aenigmaticam, tantummodo summæ
felicitatis descriptionem continet, quæ & vocabuli amoris si-
gnificationem inusitatam sistit, & explicanda denuo est, ac
reducenda ad communissimam de S. B. descriptionem, seu sen-
tentiam aliorum, ut intelligatur: quod haud obscure Thomasius
ipse largitur in *Introd. ad Prud. Mor. cap. 4. §. 63.* Sine hac enim
reductione, & commentario addito, quid sibi velit S. Boni illa
per amorem rationalem descriptio, ne Oedipus quidem facile
intelligeret. (2.) Suspecta est hæc sententia, quia cum Spino-
zeana sumæ felicitatis descriptione, quam supra refutavi, ma-
gnam videtur habere affinitatem, certe ab invidis & malevolis,
vel etiam a minus circumspectis, pro ea poterat haberri, quæ ex
Spinozæ demonstrationibus impiis, juxta & falsis esset hausta.
3.) Amoris illa rationalis descriptio, imo & ipsius summi boni de-
finitio, quam dedit Thomasius, fallaci admodum innititur prin-
cipio, als wenn dasjenige allein gut sey / was des Menschen We-
sen und Kräfte am dauerhaftesten erhält / und vermehret / es mö-
ge nun diese Erhaltung und Vermehrung sich alsbald ereignen / o-
der erst eine geraume Zeit hernach zu spüren seyn / in der Einheit
zur Sitt. cap. I. §. 28.; Dasjenige aber sey böse / was eine dauer-
hafteste Verringerung oder gänzliche Ausstilgung des menschlichen
Wesens und seiner Kräfte verursachet. Spinoza enim in *Eth. P. 4.*

Def. 1. & 2. eadem ratione, & tantum non iisdem verbis, bonum describit & malum: Per bonum, inquit, intelligo id, quod certo scimus nobis esse utile; per malum autem id, quod certo scimus impedire, quo minus boni alicuius simus compotes. Hic bonum utile, cum bono honesto, & jucundo mirifice confunditur a Spinoza: utilitate enim sola omne bonum aestimat ac probat. Sed & Thomasius in eundem videtur modum philosophari, quando in *Introd. ad Phil. Mor. c. 1. §. 109.* receptissimam, (inter bonum utile, jucundum, & honestum,) distinguendi rationem, tanquam confuse & sine omni fundamento ab aliis traditam doctrinam, rejicit, ac passim alibi mirifice exagitat; quasi vero sola utilitate, aut solo respectu ad conservationem essentiae humanae habito, aestimari ac probari omne bonum debeat, idque cum ludibrio & irrefatione omnium secus philosophantium. Hinc 4.) sententia Thomasii, qua amor rationalis summum putatur esse bonum, videtur etiam paulo esse insolentior, & ipsa nihil minus exhibere, quam specimen aliquod amoris cuiusdam rationalis: Quippe secundum quem non debuissent reliquæ aliorum Philosophorum sententiæ tantopere tamque acerbe exagitari, præque una illa Thomasiana despici, præfertim illæ, quæ revera sunt multo, quam Thomasiana, & clariores & firmioribus superstructæ fundamentis. (5.) Non videtur eadem illa sententia satis sibi constare. Alias enim, perinde ut in Erbiciis Spinoza docet, summa hominis felicitas, in solis dicitur esse posita cogitationibus animi quietis, daß in ruhigen und mäßig sich verändernden Gedanken des Menschen seine wahre / einzige und größte Glückseligkeit bestehet / cap. 2. §. 62.; quæ cogitationes tamen vix partem minimam summi boni, aut gradum infimum perveniendi ad felicitatem summam, constituunt, si quidem bene sese habeant, atque ex operatione secundum virtutem fluant. Alias plenius describitur eadem felicitas summa §. conseq. 65. *Introd. in Phil. Mor.*, quod nihil autem sit, quam tranquilla quedam oblectatio, qua homo nullius rei, neque dolorem sentit neque gaudium, in eoque statu cum aliis hominibus tandem animi quietem possidentibus sese conjungere studet. In qua definitione, primum status fingitur hominis ecstaticus, dicam, an fanaticus, an utopicus? certe sibi ipsi contrarius & ab humana natura, longissime

longissime abhorrens, eine solche Belustigung / da der Mensch
weder Schmerz noch Freude über etwas empfindet: Fingit enim
hominem plus quam Stoicum, hoc est, non hominem, & obli-
ctationem sine gaudio, quod implicat. Deinde manifesto fal-
sa quædam supponit, v. c., quod omne gaudium sit in vitio, uti,
§. 67. asseritur his verbis: *ubi est gaudium, ibi est oblectatio irrequiesca;*
item, quod dolor omnis sit in vitio, & bono summo aduersetur.
Siccine in vita æterna, ubi futura sunt gaudia perpetua & sem-
piterna, futura est dicenda, secundum Thomasii Philosophiam,
oblectatio inquietissima? Miror, in primis his atque ultimis bo-
norum finibus ponendis, Thomassum usque adeo sui ipsius
fuisse oblitum, ut semel atque iterum in his a semetipso dissen-
tiat. Alias, *affectus omnes in genere, docet, esse indifferentes, i. e.*
nec bonos, nec malos, in Prax. Phil. Mor. cap. 6. § 8. Sed mox sub-
jungit, in eodem & consequentibus §§., *affectus intuitu specierum*
alios bonos esse, qui nos ducant ad quietem, alios malos; qui ad inquie-
tudinem nos rapiant. Ergo & gaudium dicatur indifferens, aut
causa ostendatur alia, quamobrem ex numero affectuum exclu-
di debeat. Quando vir sapiens & prudens graviter ægrotans,
qui non potest non dolore affici, cum animi, tum corporis, in
Introd. ad Phil. Mor. c. 2. §. 117. seqq., dicitur esse posse subiectum
felicitatis summæ, etiam tum, cum doloribus excruciat; eo
ipso conceditur dolorem omnem non aduersari summo bono.
Nunc amor ille rationalis ipsum dicitur esse summum bonum,
imo & essentia hominis, *cap. 2. §. 71. seqq.*: Nunc medium uni-
cum consequendæ felicitatis summæ, *cap. 4. §. 60.* nunc iterum
affectus animi præcipuus, *in Prax. Phil. Mor. cap. 6. §. 10.* quæ o-
mnia hac ratione conjuncta sibi ipsis contrariantur, nec per ad-
ditam distinguendi rationem conciliari possunt. Alias sapien-
tia vera pars esse dicitur summæ felicitatis; alias idem denuo ne-
gatur, *Conf. Introd. in Phil. Mor. cap. 2. 43. seqq.* in primis §. 47. seqq.
in quibus & Physica & Matheſis, & ejusdem generis Scientiæ
præstantissimæ aliæ, dicuntur Thomasio a summa felicitate mo-
rali prorsus excludi, imo eidem quam maxime aduersari. De-
nique 6.) ipsa etiam amoris rationalis descriptio Thomasiana,

summæ felicitati antea definitæ non uno nomine contrariatur.
In Intr. cit. cap. 4. §. 7. amor rationalis per desiderium describitur voluntatis humanae sese conjungendicum eo, quod intellectus humanus bonum esse judicavit, vel in ea coniunctione permanendi. At enim vero, si desiderium est voluntatis, amor ille rationalis, non erit ultimus omnium bonorum finis, quia desiderium est boni, quod oblationem illam ex omni parte quietam, quam S.B. Thomasius appellat, neque constituet, neque etiam efficiet.

§. 9. II. Quæritur, utrum amor ille rationalis, primum constituat moralitatis *principium cum constitutivum*, ut ab eo omnes actus boni illud habeat, quod sint morales & boni; tum *regulativum & normativum*, ut secundum hunc amorem omnes actus boni sint examinandi, tanquam ad primam, ad æquatam, atque infallibilem normam? Vtrumque Thomasium afferere ex supra citatis locis patet: Ego vehementer metuo, ut hanc de amore rationali sententiam persuaserit probaveritque prudentioribus multis, & rem ipsam paulo accuratius considerantibus, ut potius doctrinam de primo moralitatis principio, tot jam expositam dissentientium opinionibus, incertiores multo, quam ante fuerat, reddiderit. Patiatur itaque, ut huic sententiæ obvertam i.) quod, posito hoc amore rationali, tanquam primo, atque ultimo, unicoque moralitatis principio, omnis intrinseca, atq; objectiva actuum bonorum moralitas sit pernegranda. Thomasii enim illa moralitas prima, est tantummodo *ætixη & respectiva*, qua actus aliquis bonus esse dicitur tantummodo propterea, quia conductit ad conservationem hominis, vel quia congruit cum amore illo rationali, atque ex eodem derivari potest: cum sint actus bene multi per se boni, habentes intrinsecam aliquam & objectivam, ut sic loquar, rationem boni. Ergo periculum est, ut Thomasianam admittentes philosophiam, prolabantur ad castra Pyrrhoniorum vel veterum, de quibus *Laert. in Vit. Pyrrhoniorum tractat*, vel recentiorum *Hobbesi, Szydlovii, Poireti* atque aliorum, quorum ille in *Leviat. c. 6. 13. & 26.* iste in *Vindic. Qq. diffic. c. 8. seqq.* hic in *Cogitat. Rational. de Deo An. & Moral. L. 3.* turpisimi indifferentismi moralis fundamenta ponunt: Certe omnem intrinsecam atque objectivam actuum bonorum

mora-

moralitatem inficiantur. Atque eo quidem, idem fieri ab illis, qui ex Thomasii scholis egrediuntur, ex uno atque iterum alio congressu colloquioque peregrinantium huc usque aliquoties addidici. (2.) Amor Thomasii rationalis ab ipso Thomasio passim, supra citatis locis, ad aliud principium magis primum examinatur, diciturque ex legibus & recta ratione judicandus sitne vere rationalis, an minus? Ergo amor iste rationalis, respetusque ad conservationem hominis, non est primum moralitatis principium, nec constitutivum, nec normativum. Quarenti, cur pietatis erga Deum actus aliquis, v. c. cultus publicus, sit bonus? si responderes Thomasii ex sententia: *Quia cum amore rationali congruat, & conducat ad hominis conservationem diuturnam;* tunc certe, sine addito magno commentario, primum non intelliget, quid velis, deinde posterius negabit, & denuo inquiret rationem magis primam: *Quare cultus Dei publicus congruere dicatur cum amore rationali?* & erit multo, quam ante incertior. Perinde igitur existimo de demonstrationibus hujusmodi Thomasianis esse judicandum, ut judicarunt prudentiores de demonstrationibus Pufendorfianis, quæ in socialitate primum moralitatis fundamenta ponunt, quippe quarum occasione demonstrationum *Thomasius in Proœm. Jurisp. Divin.* haud obscure profitetur, se venisse in hanc de amore rationali, tanquam primo moralitatis principio, sententiam. (3.) Ut Pufendorfiani multi, propter istam de socialitate sententiam, eo progrediuntur, ut legem naturæ negent: ita plerique Thomasiani, illi certe omnes, cum quibus mihi licuit conferre, & legem naturæ, & nescio quid amplius, inficiantur; idque potissimum propterea, quod non opinantur in jure naturæ & ceteris legibus, sed in amore rationali, quærendum esse, fundamentum moralitatis. At hujusmodi quid negare, illud, proximus est ad atheismum gradus. (4.) Nullis superstruitur sententia Thomasiana firmis rationibus, sed persuationibus tantummodo bene multis, quæ speciem præ se ferunt veritatis. Non enim ex eo, quod omnes actus boni reduci possunt quodammodo ad amorem rationalem, mali e contrario ex amore, fluunt irrationali, statim relinquunt, quod amor rationalis sit & primum,

primum, & unicum, & adæquatum moralitatis fundamentum. Quid si vel ad pietatem, vel justitiam, omnis actus morales eadem ratione reducerentur, num propterea vel pietas, vel justitia principium erunt primum & unicum, & adæquatum moralitatis? Quid denique de illis fiet actibus moraliter bonis, in quibus iræ sunt atque odii argumenta multa, amoris vero signum nullum? 5.) Sententia hæc Thomasiana, (quia ab ipso Thomasio, civitatis supra locis, rebus etiam sacris admiscetur,) & sacris adversatur, & Fanaticis vehementer favet & hæreticis, qui vel ex amore fidem & omnia fidei capita derivant, vel fidem cum charitate, Legem cum Evangelio miserrime confundunt. Licet enim Scriptura S. omnia, quæ sunt legis, ad dilectionem referat Dei & proximi, amorem etiam magnopere commendet; non tamen propterea amorem rationalem constituit primum moralitatis principium, nec ullibi amorem referendum ad Evangelium, aut pro fide salvifica admittendum esse docet.

§. 10. Hinc III. quando quaeritur, an amor Thomasii rationalis constitutat imaginem Dei? Quando IV. quæritur, utrum amor item rationalis cum fide coincidat, qua dicimur coram Deo iudicari juxta & salvari? Recte Resp. utrumque pernegando (α.) quia & αγεαΦον est & maxime αντιγραΦον & prius & posterius. (β.) quia utrumque, quando asseritur, proprium est Fanaticorum, & Haereticorum illorum, quos Operistas nominant Theologi, & Pseudo-Polticorum illorum, qui Theologis illudendo, summam gloriam affeant. (γ.) quia posterius legem & Evangelium turpissime confundit, prætereaque incommoda secum trahit. Inest enim, v. c. amor rationalis, certe inesse potest, secundum Thomasii Philosophiam, homini gentili ac prorsus infideli; Ergone huic etiam inest imago Dei & fides & spes salutis aeternae consequendae? Ita vero, qui revera prorsus esset infidelis, & fidelis dicendus esset & præter cæteros salvandus. Sed hæc persequi & festinatio prohibet; & argumentum Theologis relinquendum. Quamobrem sufficiat ad ultimum asseruisse, quod persuasissimum semper habui, Thomassum, Virum Celeberrimum, in constitutis primis ipsis, atque in usitatis moralium principiis, iisdemque defendendis, voluisse ipsum ingenii tantum sui periculum aliquod facere, & aliis, quantum eo valeat, simul ostendere, quod fieri in rebus tanti momenti, tamque latissime patentibus, & sacris etiam dogmatibus admixtis, fieri non debuisse.

